

num præfatum 1194, idque undecimo Kalendas Decembris, uti in Necrológio Victorino commendatur his verbis : *Obiit Godefridus sacerdos canonicus noster professus.* Hæc nos ferme verbotenus ex ms.

A Historia abbatiae regalis Sancti Victoris Parisiensis, quam scripsit Joannes de Tolosa, ejusdem Ecclesiae canonicus.

ANNO DOMINI MCLXXIII

ADAMUS A S. VICTORE

NOTITIA

AB AUCTORE PERANTIQUO SCRIPTA.

(MARTEN. *Ampl. collect.* VI, 220) ;

Circa tempora excellentissimi doctoris magistri Hugonis de S. Victore floruit excellens et celebris doctor, magister Adam Ecclesiae ejusdem S. Victoris Parisiensis canonicus professus, natione Brito, conversatione humilis et gratus, doctrina et eruditione utilis et præclarus; adeo ut sine operibus ejus vix posset homo in prologis S. Hieronymi super bibliam pedem figere, vel expositionem rationabilem difficilium invenire. Ipsos enim tam super Vetus Testamentum, quam super Novum, ut sit rota in medio rotæ, licet multis et magnis obscuritatibus involutos, tam ex brevi et succincta mysteriorum multiplicum narratione, quam ex dictionum quasi insolitarum interpositione, de verbo ad verbum exposuit luculenter, ut patet diligenter intuenti librum suum, quem de hujusmodi expositione prologorum composuit, qui sic incipit : *Partibus expositis textus nova cura contingit, et fragiles humeros onus importabile frangit.* In quo etiam libro ipse facit multoties mentionem de quodam libro, quem ipse composuit, qui vocatur *Summa de vocabulis Bibliæ, seu Summa Britonis*, et de aliis operibus virtuosis. Illud etiam non immerito debet meritorie commendari, quod valde multas prosas fecit de benedicta Trinitate, de S. Spiritu, de gloriosa Virgine Maria, ad quam specialem devotionem noscitur habuisse; de apostolis et aliis pluribus sanctis, quæ succincte et clausulatim progredientes; venusto verborum matrimonio subtiliter decoratæ, sententiarum flosculis mirabiliter picturatæ, schematibus congruentissimo componuntur, in quibus et cum interserat prophetias et figuras, quæ in sensu quem pretendunt videbantur obscurissimæ, tamen sic eas adaptat ad suum propositum manifeste, ut magis videantur historiam texere, quam figuram. Quo tamen stante, cum eo quod in eis addit superfluum, nihil in eis invenies imminutum. Dicit ergo qui viderit præsens scriptum illud, quod dicit Scriptura: *Adam*

B exemplum meum ab adolescentia mea. Et bene debet esse exemplum religiosorum, quia dictum est de eo et de illis: *In funiculis Adam traham eos in vinculis charitatis.* Si autem quæras cum Scriptura, *Adam ubi es?* respondetur, quod sub ista tumba clavata, in terra unde formatus est Adam similiter est sepultus, qui dum vitam ageret in humanis tam excellenter et excellenter est locutus. Et quia scriptum est, reddet Dominus hominibus secundum actus suos et secundum opera Adæ, hinc est quod de operibus quæ per eum Spiritus sanctus edidit, aliqua censuimus hic scribenda, ut qui ea legerit, viderit et audierit, Deum laudet in sæcula benedictum et oret, quatenus spiraculum vitæ, quod inspiravit in faciem istius Adæ, ex visione suæ benedictissimæ essentiae cum sanctis et electis suis efficiat gloriosum.

EPITAPHIUM MAGISTRI ADÆ CANONICI SANCTI VICTORIS.

*Nominis et pœnæ primi patris hic situs hæres,
Terra fit, a terræ nomine nomen habens.
Ne mireris homo, quod Adam sub humo cinerescat,
Cui cognomen humus materiamque dedit.
In vita reliquis illuxit, quo duce, verum
Dicat Adam quam sit fallax opulentia rerum.
Quem fovit virtus, cui favit gloria mundi,
Ecce sub externi cinerescit cespite fundi.*

ALIUD EPITAPHIUM QUOD IPSE DE SE COMPOSUIT.

(1) *Hæres peccati, natura filius iræ,
Exsiltique reus nascitur omnis homo.
Unde superbit homo? cujus conceptio culpa,
Nasci pœna, labor vita, necesse mori.
Vana salus hominis, vanus decor, omnia vana:
Inter vana nihil vanius est homine.
Dum magis alludit præsentis gloria vitæ,
Præterit, imo fugit; non fugit, imo perit.
Post hominem vermis, post vermen fit cinis, heu, heu!
Sic redit in cinerem gloria nostra simul.
Hic ego qui jaceo miser et miserabilis Adam,
Unam pro summo munere posco precem.
Peccavi, fateor, veniam peto, parce fatenti,
Parce Pater, fratres parce, parce Deus.*

(1) Hoc epitaphium æri incisum, quod olim in claustrum S. Victoris Paris. legebatur, anno 1793 in fornace opificis jamjam projiciendum pretio redemit vir bonarum artium studiosissimus D. Petit Radel.

Propalam nuper ut monumentum pretiosissimum in ædibus bibliothecæ Mazarinæ collocatum est, xysto quem vocant Colbertino.